

contingere virtus, si Heroica vult ha-
beri. Hic autem eum constitisse inu-
sitatum illud lumen, & serenissimum
vitæ jubar ostendit, non tenui unius
alteriusvé acumine emicans in subli-
me, sed plurimarum complexu virtu-
tum cœlo latissimè subtensum. Inter
quas Principalis illa pietas Deo proxi-
mè admovit hominem, cujus vita,
non minùs quàm sanctissimi cujusq̃;
nil nisi perpetuum cum Numine col-
loqvium fuit, idq̃; non tam formulis
adstrictum, quàm puræ castissimæq̃;
mentis & probi ingenii veris con-
ceptum suspiriis, quæ rectiùs quàm vel
alba vestis, vel ullum, ut ut meditatam
maximè, carminis genus, cœli placaverint
Dominum. Falluntur enim,
qui ex Ceremoniarum superstitioni-